



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-365479-p0001-9

DFG

~~G. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

W-58.

SIGNAT. ~~cl~~ CCCXIII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-365479-p0003-0

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-365479-p0004-6

DFG

IN NOMINE JESU MICHAELIS!
 POTENTISSIMI JUBILÆORUM CONDITORIS,
 JUBILÆUM COELORUM,
 INPRIMIS ANGELORUM SANCTORUM,
 CONCILIUM,
DECANUS,
 THEOLOGICÆ FACULTATIS,
 IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,
D. JOHAN. Deutschmann/
 PROFESSOR ACADEMIÆ PRI-
 MARIUS, SUÆ FACULTATIS, ET UNIVER-
 SITATIS TOTIUS SENIOR, TEMPLI PRÆPOSITUS,
 ET ALUMNORUM ELECTORALIUM
 EPHORUS,
 IN MAGNO CHRISTIANORUM ANNO
 JUBILÆO SEPTIMO POST DECIMUM,
 LECTORIBUS UNIVERSIS, ET SINGULIS, CUM PRI-
 MIS PATRIBUS, HOSPITIBUS, ET CIVIBUS ACADEMICIS,
EX JOBI I. & II.
 RELIGIOSE PUBLICAT,
 ET
MAGNIFICUM DN. RECTOREM,
 ILLUSTRISSIMOS DNN. BARONES,
 UNIVERSITATIS PATRES ATQVE CIVES,
AD ORATIONEM SOLENNEM,
 DIE IV. OCTOBR. RECITANDAM, SOLEMNITER INVITAT!

IN NOMINE JESU MICHAELIS,
SUPREMI CONCILIORUM
ANGELORUM JUBILANTIUM
PRÆSIDIS!



Anctorum Angelorum Concilium se-
cretum Scripture Sacrae Mysterium,
Spirituum Angelorum, tanquam
cœlestium Ministrorum, Doctorum
Synedrium, & admirabile Calorum
Jubileum! Gloriosum hoc Angelorum
Bonotum Concilium jure dicitur
sacratum Pandectarum Mysterium.

Nihil de tam *augusto Concilio* tradit Natura, quæ mundi
potissimum exteri Cœlulis includitur, & ultra Supre-
mum Cœlum naturale nullatenus extenditur, dum mun-
dus *Physicus* totius Naturæ sedes dicitur, Cœli, terraq; no-
mine communiter in Verbo Veritatis describitur, & expri-
mitur, atque rerum naturalium exercitus omnis ad hoc
domicilium contrahitur. Jam vulgo notum, satisq; com-
pertum est, quod Angelorū Cœtus, ex ordinariōne Creatoris,
sedem, mundo visibili superiore, obtineat, ultra Physicarum
rerum, naturalium, & corporalium creaturarum sortem ad-
scendat, & mansionem, atque commorationem ulterio-
rem exigat, unde communiter suam habitationem, ordi-
nationem, & conversationem, in Angelico cœlo repetire di-
cuntur, & hinc Angeli, non mundi, sed cœli, sèpius in Sacris
literis appellantur. Et certe si nunc, post tenebras hu-
manæ corruptionis, saltem pauca, satis etiam infirma,
de bonorum Angelorum, vel existentia, vel essentia, de-
pro-

proprietatibus & effectis, *Natura* non absq; labore magno,
nec absque dubiis multis indagat, nihil tamen de Bonorum
Angelorum Concilio manifestat. In *Natura* proinde si-
lentium de *Spirituum Cœlestium Conciliis* altissimum. Nec
humana Ratio quicquam de talibus *Conciliis* vel novit, vel
tradit. Vulgo dicitur à Philosophis: *Nihil est in intelle-
ctu, quod non ante fuerit in sensu: quod externi sensus
apprehendunt, ad internos deferunt, viribusque conju-
ctis Rationis contemplationibus offerunt.* Sed *Angelorum
Concilia* sensus externos fugiunt, internos non attingunt,
& ad rationis naturalis, qua talis est, & manet, *sacrum*
se demittere nolunt. *Officina rationis naturalis* est *spha-
ra*, naturalis corporum mundanorum cum Autore suo, per-
petuoq; *Conservatore*, vel *Gubernatore*, quam *spharam ratio*
sibi relicita transcendere nequit. Manet igitur hoc firmum,
quod *Angelorum Concilia* sint *Scriptura solius Mysteria*:
Namque *Scriptura Sacra* dicitur alias *Historia Historiarum*,
Historia Celorum, & *Terrarum*, *Historia superiorum*, & *in-
feriorum Creaturarum*. Ut *Historiam Historiarum* etiam
Historiam Angelorum Conciliorum prosequitur, ut *His-
toria cœlestium Incolarum*, tanquam *Creaturarum*, *Calis Syne-
drii*, vel *Concilia*, complectitur. Angeli certe propter
Spiritualem Essentiam, actus puri sunt, atque perpetui,
continuae præxeos & energias, nullius ignavia, vel negli-
gentie, sed potius incessabilis diligentia, vel expeditionis,
sicut hoc tempore canit Ecclesia: Sie seyren auch/ und
schlaffen nicht/ ihr Fleiß ist ganz dahin gericht/ Wie sie/
Herr Christe/ um dich segn/ und um dein armes Häuf-
felein: angeli summae sunt sapientiae, qua res omnes ex
admirabilis sapientiae suggestione, vel directione, velociter
& feliciter expedire norunt, sicut iterum fatetur Eccle-
sia: Sie glänzen hell/ und leuchten klar/ und sehen dich

ganz offenbahr / Dein Stimm sie hören allezeit / und sind
voll göttlicher Weisheit : Angeli maximæ sunt virtutis,
ac potentia, voluntatis, & libertatis optimæ ; qua semper
volunt, & libere possunt omnia DEI commissa, omnia
nobis necessaria, potenter efficere, convenienterq; perfi-
cere. Propius autem nunc ad Illustrissimum Sanctorum
Angelorum Concilium accedere volumus, & præcunctis
aliis ipsum Veritatis divine Textum, tanquam Angelici Con-
cilii fundamentum ; & præsentis Tractationis solennis ge-
nuinum argumentum, præmittimus. Sic autem Jobi I. 6.
lugimus : Quadam autem die, cùm venissent filii Dei, ut
assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan :
Cui dixit Dominus : Unde venias ? Qui respondens, ait :
Circumivi terram, & perambulavi eam. Dixitq; Dominus
ad eum : Nunquid considerasti seruum meum Job, quod
non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac ti-
mens Deum, & recedens à malo ? Cui respondens Satan,
ait : Nunquid Job frustra timet Deum ? Nonnè tu valla-
sti eum, ac domum ejus, universamq; substantiam ejus per
circuitum : operibus manuum ejus benedixisti, & possessio
ejus crevit in terra ? Sed extende paululum manum tuam,
& tange cuncta, quæ possidet : nisi in faciem benedixerit
tibi. Dixit ergò Dominus ad Satan : Ecce, universa, quæ
babet, in manu tua sunt : tantum in eum non extendas
manum tuum. Egressusq; est Satan à facie Domini. Si-
mile Concilium mox Cap. II. 1. sqq. iterata vice producitur,
cujs verba brevitas ergo producere nolumus. Ex colla-
tione locorum istorum innumera de Synodis Cœlestibus, obser-
vatu dignissima, notare possemus, sed hac vice nostras Medi-
tationes solennes ad Jubiläum Spirituum Angelorum Con-
cilium tantum dirigimus. Occurrit nobis præ cunctis aliis
Existentia Concilii Cœlestis, quæ citra dubium est divina
celst-



celsitudinis, & autoritatis, quia per ipsum Spiritum Sanctum, DEI Summi Principalem Scribam, P. XLV. i. in authenticis Regni cœlorum tabulis est consignata: *divina veritatis*, cum hic Autor sit *Spiritus veritatis*, Joh. XIV. 17. c. XV. 26. c. XVI. 13. imo *veritas ipsa*, I. Johan. V. 6. & omne verbum ejus, sit verbum veritatis, omne scriptum, ejus, scriptum veritatis, Col. I. 5. II. Tim. III. 16. *divinae* denique certitudinis, & firmitatis, cum in verbo DEI, quod est ὁ λόγος ὁ βεβαιῶνες, II. Pet. I. 19. qui lectores & auditores in omnibus tutos, atque securos reddit, Phil. III. 1. Sic itaque de *Existentia* talismodi Concilii dicitur nullo modo dubitandum. Et certe talibus Angelorum Conciliis sacer Codex abundat, sive Veteris, sive Novi Testamenti libros evolvamus. Primum Concilium est laudantium & exultantium Angelorum, in prima statim Creatione, cuius indicium quadantenus Moses Historicus facit Gen. II. i. Sed Jobus clarius, & plenius illud introducit C. XXXIIIX, 7. Alterum Concilium est Angelorum Cherubim, coram Janua Paradisi jacentiū, Protoplastos peccatores avertentiū, ipsum Paradisum instar castrorum cingentium, & custodientium, & conversos homines in officio pietatis, & obedientie, retinentium, Gen. III. 24. Tertium Spirituū Cœlestium Concilium est Angelorum, Messiam Comitantium (cum visibilibus enim duobus comitibus circa dubium plures adfuerunt ex consuetudine, & promptitudine, cœlestium Ministrorum, invisibilis,) Abramum Patriarcham, & Lotum visitantium, & Sodomam atque reliquas Civitates justè vastantium, Gen. XIII. 1. seq. XIX. 1. seq. Quartum Concilium est Angelorum sub Messia Principe peregrinantium, militantium, & homines pios in viis suis comitantium, & defendantium, Gen. XXXII. 1. ubi Jacobo Patriarchæ Spiritus hi fuerunt, obviam duobus exercitibus, & Principem Militię Jēbōvā secum ha-

buerant, qui gravissimam cum Jacobo luctam instituit, in
qua tamen, licet cum lesionē famoris, adversus omnipo-
tentem Colluctatorem, Gloriosam in fide robusta victo-
riam, & inde Nominis Israelis Victoriosam Gloriam obti-
nuit, sicut ipse Symmachus Heros dixit: Nequaquam ap-
pellabitur deinceps Nomen tuum Jacob, sed Israel, quia lu-
ctatus es cum DEO, & hominibus, & prevaluisti. Pluri-
ma post hæc in Sacris Pandectis Angelorum Concilia nar-
rantur, sed omnia nullatenus attingere licet. Unum, vel
alterum saltem subjiciamus. Illustre Sanctorum Angelorum
Concilium Micha Propheta vidit, Ahab it tempore i. Reg. XXII.
15. qui Regi magna cum Parrhesia dixit: Audi Sermonem Do-
mini: vidi Dominum, sedentem super solium suum, & OMNEM
EXERCITUM CÆLI adstantem, & à dextris, & à sini-
stris. Mox etiam additur, quod Satan in hoc quoque
Concilio præsens fuerit, & licet ad Concilium minime, tan-
quam pars Concilii, vocatus fuerit, tamen ut impudens
Spiritus, in star partis Conciliaris, verba fecerit, & ipsum
Concilii Præsidem, DEUM gloriosum, audacter allocutus sit:
Cum enim Dominus dixisset, quis persuadebit Ahab, Regem
Israel, ut ascendat in Ramoth, Gilead, & ibidem cadas;
& cum alius hoc, alius aliud protulisset, egressus est Spiritus
coram Domino, & ait: ego fariam hoc: cui locutus est
Dominus, in quo? & ille ait: egrediar, & ero spiritus
mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Do-
minus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.
Hoc Concilium Jobao vere collacteum, dum Satanas &
hic Concilio Beatorum Angelorum se satis impudenter im-
miscuit. Notabile quoque Concilium circa Prophetam
Elisæum, & famulum ejus, Sancti celebrarunt Angelis in
circitu Dothan ubi cum Syrorum Exercitus circumde-
dissent totam Civitatem, & hoc vidisset minister Propheta,
vehe-



vehementer turbatus est, & maxime timuit, exclamans:
Heu, Heu, Heu, Domine mi, quid faciemus? At illa respon-
dit: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum
illis: cum igitur orasset Eliseus, dicens: Domine aperi ocu-
los pueri hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri,
¶ vidit: Ecce, Mons plenus equorum, ¶ curruum igneo-
rum, in circuitu Eliasi, propter magnum Concilium, vel com-
paritionem numerosam caelstium Angelorum, ceu poten-
tissimorum Promachorum, & excubitorum. Quales sunt An-
geli vigeles, & custodes, qui castra metantur circa timen-
tes Dominum, Ps. XXXIV. 8. Huc etiam pertinet Musicum,
& Theoreticum Concilium Sanctorū Seraphim in Esaie prophe-
tica Visione, Isa. VI. 1. ubi Seraphim suas Antiphonas insti-
tuerunt, & in Honorem DEI suum Trisagion cecinerunt,
alter ad alterum clamans: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domi-
nus DEUS Zebaorb, plena est omnis terra ejus Gloria. Plura
nunc ex Veteri, vel etiam ex Novo Testamento Concilia col-
ligere nolumus. Ex his enim, & aliis, Existentia Conciliorum
Angelorum certissima videtur, & sic ad oculum patet, quod
Angelorum Mysticum Concilium sit Sacrarum literarum My-
sterium. Nunc etiam paucis annotabimus, quod hoc An-
gelorum Concilium sit admirabile Cœlorum Synedrium, dum
Angeli coram DEI Throno, vel in ejus circuitu convenisse
dicuntur, ita quidem ut vere Synedrium aliquod ma-
gnum sit celebratum. Est illud ratione Nominis & Omi-
nis verum Concilium, & in omnibus suis partibus, & acti-
bus, & aliis proprietatibus verum dicitur Concilium. Pre-
ses hujus Concilii non mundanus quidam Imperator, Rex,
aut Princeps, penes quem Majestatis, supremaque Pote-
statis, jura resident, Inter haec Majestatis Axiomata quoque
suo jure notinatur, & numerator jus omnium subdieo-
rum, sicut ex Rom. XIII. 1. constat: Omnis anima potestatibus
supereminentibus subjecta sit: sicut omnis anima tenetris

potest.



potestatibus summis, vel Regibus, subdita manet in terris
& regnis terrestribus; sic etiam omnis *Spiritus Cælestis Regi Celorum subditus* vere dicitur, in cuius Nomi-
ne quilibet Angelus pro se res suas sigillatim expedire
consuevit, & ex cuius Voluntate vel Auctoritate, seu Potestate,
quoq; Convento conjunctim agunt, Concilia cogunt, & in his
congregationibus res communes in consilium vocant, de
mediis agendorum, vel deliberant, vel saltem cogitant, &
ex beneplacito Superioris, vel conciliari conventione, seu
communicatione, feliciter omnes expeditiones admini-
strant. *Præses* igitur in hoc Angelorum Concilio fuit ipse Je-
hova, Rex Regum, & Dominus Dominantiū, Apoc. XVII, 14. Par-
tes Concili quoq; non incommode considerantur, ut inter
has partes rursus *Præses* inveniatur, qui, tanquam *Caput*, ad
totum Concilium omnino pertinere dicitur. Quatenus cau-
saliter allegatur, & ut efficiens, tanquam Principium, nota-
tur, vere *Præses*, *Autor*, & *causa Concilii*, vel ante, vel ex-
tra saltem, à priori concurrit, ita *Regentis*, & *Presidentis*
Personam adsumit; sed quatenus ut *Membrum* ingrediens,
& ad intra constituens ad *Essentiam Concilii* pertinet, sic
etiam Concili pars appellari debet. Hæc citra dubium
Primaria Pars est, & dicitur. Sed in Concilio pariter secunda-
ria Partes, & *Assessores*, inveniuntur, qui velut *Partes à Prä-
side* convocantur, Ipsimēt in Concilio seu *Capit* subordinan-
tur, & ad *Conciliare Corpus* ordinantur. Tales in Conci-
lio nostro Jobæo dicuntur *Angeli sancti*, & *Filiī DEI* nun-
cupantur, non quoad Filiationem *Naturæ*, vel *Essentie*
sicut unigenitus *DEI Filius* saltem propter æternam Gene-
rationem *Filius DEI* salutatur, Psal. II, 7. Neque propter
Filiationem *Gratiae*, quæ postliminio saltem ex mera *Miseri-
cordia*, aut *Gratia*, numero Filiorum Dei fideles associat, &
in *Filios* cooptat, etsi per se nec sint, nec esse possint *Gratiae*
Filiī:



Filiī. Sed quoad *Filiationem Potentie*, seu *Virtutis*, quia sunt *Filiī Voluntatis*, & *potestatis*, dum consequuntur, vel externo, vel alieno jure *Filiorum titulum*, atque *statum*, cumque possidere dicuntur. Tales sunt *Angeli boni*, *Servi DEI*, qui *Reverentia*, vel *Obedientia* jure *filiis conferuntur*, qua de causa dicitur, quod die *quodam*, ex *Autoritate*, atque *Voluntate Praesidis*, venerint, & ex debito, vel officio convenerint, ut tanquam apparitores coram *Domino comparerent*, & ad iussa exequenda, vel ministeria suscipienda, vel negotia diligenter expedienda, simul adfisterent, & à nutu *Conciliaris Capitis* penderent, ceu *Filiī DEI*, vel *incolæ Cælorum*. Tandem etiam peregrini, vel externi, vel adversarii, sive rei, communiter à *Concilii* non excluduntur, sed ad *Conciliarum Conventus* admittuntur, & sic etiam *Satan* inter *Filios DEI*, non ex *Voluntate Praesidis*, nec ex *jure dignitatis*, vel *originis*, instar *Filiī DEI*, nec ex *respectu Conciliaris Qualitatis*, aut ex *jure societatis*, vel *communione studii*, seu *Voluntatis*, & *inclinationis*, *expeditionis*, aut *operationis*, &c. sed absque *jure competente*, ex *impudentissima Voluntate*, seu *voluntaria impudentia*, saltem ADFUISSE dicitur inter *Filios DEI*, citra voluntatem *Praesidis*, & convenientiam *Membrorum*, non instar *partis*, sed *observatoris*, *exploratoris*, *accusatoris*, *obtrectatoris*, &c. quas *partes*, & *artes omnes* adversum innocentem, & insontem Jobum audacter explevit, quod multis explicari posset, sed id modo non conceditur. *Materia Concilii* vere dicitur *Praetica*, quæ circa *Personas*, *Res*, & *Actiones*, occupata, sicut hic agitur de *Jobi Persona*, de *Jobi Rebus*, atq; *Possessionibus*, de *Factis ejus*, &c. & de *similibus simile ferendū est Judiciū*. *Forma Conciliarū* consistit in *Conciliaribus Interrogationib⁹*, *Examinationibus*, *Responsionibus*, *Decisionib⁹*, &c. Finis brevi-

B

ter



ter est divina Providentia circa creaturas, & eatū conserva-
tionē, directionē, probationē, vel tentationē, afflictionē, &c.
Satis accurate sic ostenditur Angelorum Synedrium, vel
Concilium. Hoc tandem est verum Angelorum Jubilæum.
Nam Angelorum Concilium vere dicitur, & est Jubilæum,
quod ratione DEI Concilium est maximæ voluptatis, optimæ
felicitatis activæ, dum in conspectu, vel etiam coram fa-
cie DEI tale Concilium congregatur. Summa siquidem
Angelorum felicitas in visione DEI beatifica consistit, Matt.
XIX 10. Ratione Christi, quia de fidelibus in Messia po-
tissimum instituitur collatio, vel deliberatio, qualis Jobus
erat, vere fidelis, & in Messia perfectus cum Abrahamo,
Gen. XVII. 1. Ratione sui Jubilæum est, in eo delectationem,
& exultationē, Angeli consequntur, quando vigiles, & custo-
des Electorum constituuntur, sicut hoc loco Jobū, & omnia,
quæ fuerunt ejus, ita custodierunt, ut Satan, ne quidem in
minimo, Jobo piissimo damnum inferre potuerit; respectu
ministerii, dum angelorum, ratione DEI, piorumque, mi-
nisterium est ipsorum Jubilæum, gaudio plenissimum:
ratione nostri, quia conciliare Jubilæum Angelorū in perpe-
tuum usum, & fructū, fidelium convertitur. Innumera pos-
semus adhuc afferre de hoc Jubilao Sanctorum Angelorum
Concilio; sed hanc operam LAUDATISSIMUS SS.
THEOLOGIÆ CANDIDATUS, cuius causa præsentem
Expeditionem suscepimus, expediturus est, qui lectionum,
quas vocant, cursoriarum loco, Concilium hoc Angelorum
studiosæ, Juventuti pro ea, qua pollet, Eruditione, & dexter-
itate, plenius exponet. Est IS VIR MAXIME REVEREN-
DUS, AMPLISSIMUS, ET EXCELLENTISSIMUS,
DN. JOHANNES AVENARIUS, PASTOR ECCLÆ
PLAVIENSIS, ET VICINARUM SUPERINTEN-
DENS

DENS MERITISSIMUS, AFFINIS, FAUTOR, ET IN
CHRISTO FRATER AMICISSIMUS, cuius *Vita Curricu-*
lam, nobis oblatum, ex more non infrequentí p̄mittimus.
Sic autem *Ipse* modeste *Gratiæ divinae Dona* gratus apud se
deprædicat: *Vitam meam, ut breviter exponam, scire licet,*
die 24. Sept. 1653. in lucem me prodiisse *Zypendorffii*, hone-
stis satum parentibus, Patre *Abrabamo Avenario*, Pastore
Zypendorffensium in *Citizensi* Episcopatu, ac Diœcesi,
dum viguit, vigilantissimo, & *Catbarinâ*, natâ *Metidâ*, Ma-
tre: *Qui* post privatas informationes undecimò ætatis
anno *Cizæ*, quasi alteri patriæ, me tradiderunt, ubi in
Gymnasio Episcopali ad decennium optimis imbutus li-
teris, doctrinæ sacræ junctis, moderatoribus, *Teloniô, Wal-*
therô, Weissio, Weidmanno, Bartholomai, (*Evergetâ* non
minus, ac *Præceptore* meô, hōc æternum deprædican-
dō,) & *Vogelhauptiô*, singulis nunc beatis, ubi Musica me
orphanum, mortuo B. Parente anno 1666. aliquot aluit
annos: Donec pridie Non. Septembr. 1673. ad altiora
progressurus, Oratiunculâ latinâ, & Carmine Syr. Chald.
Ebr. Græc. Lat. Ger. Scholæ dixerim vale, ut loquitur
B. Dn. Joh. Vogelhauptii, tunc Rectoris, Programma pu-
blicum, à quō etiam Testimoniô non vulgari dotatus,
Wittebergam, Orthodoxiæ habitaculum, veni, Theologiæ
consecratus ab utero, receptus in *Album Academicorum*
à Rector Magnif. Dn. D. *Wilb. Lysero*, Jur. Prof. celeber-
rimo: Ibi, ut *Cizæ* trivialia triveram, sic Leucoreæ
Athenæ me Philo-Theosophiâ oblectabant, cum *Frenzelii*
Metaphysicis, Pneumaticis, Physicis, *Pascæ Logicis*, Gno-
stologicis, Noologicis, *Donati Mathematicis*, Logico-Me-
taphysico-Theologicis, *Röbrensee Ethicis*, Politicis, Oco-
nomicis, *Hilligeri* Ogdoglotto orientali, cæterisque Colle-
giis lectoriis, disputatoriis, privatis, & privatissimis, inter-

essem, attamen Dominam Theologiam servabus his
præoptarem, indeque Magnos. quos ista ætas ferebat,
Theologos, Calovium, Meisnerum, Quenstedium, Deutsch-
mannum, Pomarium, ò quæ lumina! disputantes, præle-
gentes, audirem, ex quibus etiam Magnif. Dn. D. Deutsch-
mannum adhuc, utinam diu! saluti Ecclesiæ Christianæ
superstitem, mihi Præsidem elgebam Disputationis meæ
Philologico-Theologicæ de Mendis Scripturæ S. V. & N. T.
adnexâ Loci Matth. 27. 9. breviori illustratione ad 7. Id.
Mart. 1675. in Auditorio Theol. habitæ: Quò specimine
publicè edito iterum iterumque invitatus, invitus pri-
mùm Magisterii Philosophici adeptus Gradum, Leucoréæ
ad 5. Cal. Maj. illius anni Rectore Magnif. Dn. D. Joh. Andr.
Quenstedio, Theologo, à Decano Spectab. Dn. Baltb. Stel-
bergio, Græc. Lit. P. P. insulatus, ita discedebam Lipsiam.
Lipsiam dico, Coronam Germanarum urbium, Studioso-
rum pauperum nutricem, Theatrum, imo sedem omnium
bonarum artium, & virtutum: Hic commoratus ad
duodecimum ferè annum, beneficiis ornatus quam plu-
rimis, maximis, Theologica tractavi, tūm discendo, tūm
docendo, ad pedes Scherzeri, Rappolti, Carpzovii, Leb-
manni, Mæbii, Olearii, Alberti, Pfeifferi, jam publicè, jam
privatim, jam privatissime, in Didacticis, Polemicis, Exe-
geticis, Homileticis, auscultavi, opposui, respondi, me ex-
ercui. Præcipue vero, post redditum meum ab Almâ
Jenensi, quò me pestilias funesta ad semestre abegerat,
quinquennium in Academiis felicissimum, per Dei gra-
tiam, Lipsiaca tempe mihi perfecerunt in Ædibus beni-
gnissimi Conradi, ò cœlum fac, æternis huic Beato retrí-
buatur gaudiis, Ipsiusque posteri millies his perfruantur!
Factum est tunc temporis, ut Reverendiss. Facultas Theol.

ibidem



ibidem, collatō d. 28. April. 1682. primō gradu, quem *Bacalaureatum* vocant, copiam mihi faceret, non modo *Theologica* privatim profitendi in Collegiis publicē intimatis, *Exegeticis*, *Theticis*, *Polemicis*, *Homileticis*, cūm practicis, tūm lectoriis, sed & sequentis anni diebus canicularibus, in *Acroateriō Theol. Controversiam de Visione Dei Oculari in vitā aeternā*, publicis prælectionibus tractandi fusiūs, quibus peractis convertendi quoque & ex *Papisticis* tenebris reducendi, informationi meæ traditi sunt non uni, adeoque *Catechetica* simul, & *Acroamatica* cum *Homileticis*, nec minus *Humaniora*, atque *Philosophica* cum *Orientalibus* diligenter instillavi. Annus effluentis hujus seculi octogesimus sextus fatalis mihi videbatur, quō divina pronœa ad Sacrum ministerium me provehi volebat, quando ipsis Calendis Januarii *Magdeburgum* ingressus, ad *Pietate* eximiā, & *Asceticā* *Theologicā* præstantissimum *Theologum*, B. Dn. *Scriberum*, ab ipso quidem per literas citra meritum invitatus humannissimè, & veni, & exceptus benignissimè è suggestu ipsius ad D. Jacobi, Dom. post *Circumcisionem Christi* matutinam concionem, ei non ingratam, habui, qui mentem postea suam aperuit de *Promotione* ad *Pastoratum*, atque *Inspectionem*, me adhuc celandā, cui vero præter opinionem interveniebat B. Gamalielis mei, *Carpzovii* cura, revocantis me subito Lipsiam ad *donum sacerdotis* coram Per-Illustri Comite, qui ad *Conciones Aulicas* me vocatus erat, ni *Conjunctissimi* mei itinera tot, tantaque molestissima, dissuadendo obfuisserent, ac brevi post Serenissimus noster Dux *Mauritius Wilhelmus* ad *Diaconatum Cizensem* ad D. Mich. gratiissimè me cooptare, &, ubi Procerum Lipsiensium quidam interea de *Torgaviensi Archi-*

B 3

Dia-



Diaconatu mihi prospicere sategerat, non sine spe elec-
tionis, ego etiam publicè d. 18. Maj. Præside B. Dn. D.
Job. Bened. Carpzovio, in Disput. 2. Anti-Jesuit. de Reli-
gione, contra Henr. Kircherum, Respondentis egeram par-
tes, legitimè post Examen publicum vocare voluisse:
Quæ vocatio, die 30. Aug. 1686. adscripta, à nemine non
divinissima est credita, ex verbis notatu dignissimis, ac
plane singularibus, in eâ contentis, de quô gavisus confi-
sus Deo, non habitâ proventuum tenuitatis ratione, post
Ordinationem, atque Confirmationem, illud sacrum mu-
nus à die 17. Octobr. dicti anni, quâ devotè aggressas sum,
infra biennium pro viribus, iisque à gratiâ Dei concessis,
fideliter gessi: Uti nec minori postmodum curâ functus
officio *Pastoris*, cùm gregi me suo ad D. Nicolai, in eâ-
dem Patria, Christus præesse jussérat, mediante quidem
Illustris *Heldorffii*, Cancellarii Ducalis, Vocatione d. 25.
Jun. 1688. Quam functionem Pastoralem non prius, quam
ipsam vitam, me finiturum esse persuasus, annò jam un-
decimō locum sepulturæ deligebam in ipsis ædibus sacris,
Nicolao olim dicatis; Ast, nondum dilapsò biduô, Indul-
gentissimi Patris Patriæ rursus annunciatatur voluntas
de *Ephoria Plaviensi*, mihi committendâ constantissima,
gratiosissima, quam obsequentissime sequi, cum Seren-
itas illa ante sexennium me ad Ephoram Schleusingen-
sem designaverit, persuadebat is, qui Serenissimo est à
Consiliis intimis, & Salarium ut duplò à Munificentissimo
Principe augeretur, mihi ad gratias immortales benignis-
sime effecit: Undique divini nutrîs claritas se ingerebat
oculis, quandoquidem etiam *Senatus Plaviensium* Nobilis-
simus, Patronus Ecclesiæ hujus providissimus, Pastorem
me ante elegerat, quam mihi persuaseram, significabat id
per



per literas, vocabat post dokimasticam d. 22. Febr. 1697.
unde confirmatus Lipsiæ, nomine ac jussu Reverendiss.
Sereniss. Ducis Sax. Mauritiū Wilhelmi, huc Plaviam ac-
cessi d. 23. Mart. 1697. mandataque Prvinciam suscepi,
quarto jam annō, sit laus divinæ gratiæ benedicenti, au-
xiliati, feliciter administratam! Mirificam beneficio-
rum, charitatumque abundantiam, quibus & Ciza, & Playia,
inter se certantes me sunt complexæ, silentio præter-
mitto, Matrimonium transeo, & prole, & sole oblectatio-
nis exoptatissimum, cum Ludovicia Magdalena Dorothea;
B. Dn. Mich. Christiani Ludodici, Serenissimo Duci Sazo-
Numburgensi, à Consiliis Ecclesiast. Concionibus Aul. &
Confessionibus, ac Superint. Episcop. celebratissimi, lectissi-
mā filiā d. 15. Novembr. 1687. initum, ubi duo Duces
Saxon. Sereniss. cum plurimis altiore dignitate spectatis-
simis Viris, me ad aram, Copulationi sacratam, sunt co-
mitati! Laudes, atque honores, prætereo lubens, ne nu-
merum expleturus videar eorum, quos gloria vexat ina-
nis: Id tamen tacitum non relinquam, à puerō me sa-
cris amoris ignibus in Studium Theologicum flagrante
ex cinere Avorum, dubio procul, à Vento sanctissimo sus-
flatis, usque adeò à me magni habitis, ut, si Curiones Ro-
manorum tres Oratores fuisse, Plinio non sine laude di-
citur, vel Polycratis non exiguae felicitatis in partem de-
putat Eusebius, quod septem suorum συγγένων ex Ruffini
versione Parentum habuerit Episcopos, me quoque feli-
cem existimaverim, quod Parens Abrabamus, Zypsen-
dorffii, Avus Zacharias, Cancellarii frater Melusæ,
Proavus Jeremias, Ostræ, Abavus Johannes, Doctor &
Professor Theol. Wittebergæ, post Superintendens Cizæ,
Deo Theologi servierint munere sacratissimo: Utique
Do-



Domine, & Ego sum servus tuus, ego sum servus tuus, filius ancillæ tuæ indignissimus, beneficiis tuis, Tibi sacrificabo sacrificium laudis, & nomen Domini prædicabo in atriis domus ejus, in medio Jerusalem, Hallelujah, Amen! Psalm. 116. 16. seqq. Hæc Vita, hæc fortuna, hæc DEI Gratia, & Eulogia, Meritissimo Dn. Candidato Nostro Viro cælitus benedicto, gratiissime concessa! Nam ubi divina conspicitur benedictio, ibi rerum optime gestarum præcedit laudabilis contentio, dum virtus, & præclara facta post se divinam trahunt benedictionem! Fulgent in Meritissimo Nostro Candidato præclara merita, cum Academiarum, tum Ecclesiarum, & plurimis ejus Vita Meritis adhuc exornatur: Gaudet in maximis ejus meritis Cætus fidelium Christianorum, utilissimam adhuc ædificationem in laboribus Ipsius, Animæ piorum expectant! Gratulamur Ecclesiæ de tanta Gratiæ divinæ virtute! Gratulor Academiz Nostræ de tam insigni Candidato! Gratulor, & Ipsi de maximo benedictionis Thesauro, omni commendatione digno! Gratulor in hoc Jubileo mihi quoque de tanto Candidato, meritis multis jam clarissimo! Patrocinio certè, Gratiag̃ SERENISSIMORUM PRINCIPUM, & favore Bonorum omnium dignissimus. Uno verbo: Principibus placuisse Viris non ultima laus est! Hac de causa, Nominé Venerandi Collegii Theologici, MAGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLUSTRISSIMOS BARONES, Omnes Academie Proceres, & Cives, in crastinum ad Solennem Ejus Orationem, Hora IX. Matutina, reverenter & amice rogatos, præsentibus invito. P. P. DOM. XVII. post Trinit. Anno M DCC.

WITTEBERGÆ,
Literis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

sep. 2000 rd.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-365479-p0022-5

DFG

Ung. VI 58 (II)




3

56,

VD 17
Sep. 2000 Pcl.





Farbkarte #13



32

IN NOMINE JESU MICHAELIS!
POTENTISSIMI JUBILÆORUM CONDITORIS,
JUBILÆUM COELORUM,
INPRIMIS ANGELORUM SANCTORUM,
CONCILIUM,
DECANUS,
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,
D. JOHAN. Deutschmann/
PROFESSOR ACADEMIÆ PRI-
MARIUS, SUÆ FACULTATIS, ET UNIVER-
SITATIS TOTIUS SENIOR, TEMPLI PRÆPOSitus,
ET ALUMNORUM ELECTORALUM
EPHORUS,
IN MAGNO CHRISTIANORUM ANNO
JUBILÆO SEPTIMO POST DECIMUM,
LECTORIBUS UNIVERSIS, ET SINGULIS, CUM PRI-
MIS PATRIBUS, HOSPITIBUS, ET CIVIBUS ACADEMICIS,
EX JOBI I. & II.
RELIGIOSE PUBLICAT,
ET
MAGNIFICUM DN. RECTOREM,
ILLUSTRISSIMOS DNN. BARONES,
UNIVERSITATIS PATRES ATQVE CIVES,
AD ORATIONEM SOLENNEM,
DIE IV. OCTOBR. RECITANDAM, SOLEMNITER INVITAT!

